

inferiorem Louis circulum et ideo motu celeriore duodenis circumagi annis. Tertium Martis, quod quidam Herculis uocant, igne ardens solis uicinitate, binis fere annis conuerti, ideoque huius ardore nimio et rigore Saturni, interiectum ambobus, ex utroque temperari Iouem salutaremque fieri. Deinde solis meatum esse 35 partium quidem trecentarum sexaginta, sed ut obseruatio umbrarum eius redeat ad notas, quinos annis dies adici superque quartam partem diei ; quam ob causam quinto anno unus intercalarius dies additur, ut temporum ratio solis itineri congruat.

Infra solem ambit ingens sidus appellatum Veneris, 36 alterno meatu uagum ipsisque cognominibus aemulum solis ac lunae. Praeueniens quippe et ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accepit, ut sol alter diemque maturans ; contra ab occasu refulgens, nuncupatur Vesper, ut prorogans lucem uicemue lunae reddens ; quam naturam eius Pythagoras Samius 37 primus deprehendit Olympiade circiter XLII, qui fuit urbis Romae annus CXLII. Iam magnitudine extra cuncta alia sidera est, claritatis quidem tantae, ut unius huius stellae radiis umbrae reddantur. Itaque et in magno nominum ambitu est : alii enim Iunonis, alii Isidis, alii Matris Deum appellauere.